

## Questio Unica.

vel deorsum. Et si annihilaretur magnes tunc non manet virtus in ferro quod non est uniuoce in medijs.

¶ Ad octauum dicitur quod non est causa propinqua. Ad aliud dicitur ibidem. Et ad aliud dicitur quod due dimensiones sunt simul id est inter eas nichil mediat. S. T. lec. iij.

¶ Ad nonum dicitur quod omnia illa causant aliqua accidentia in medio que forte non sunt nobis nota. videlicet san. tho. de veri. q. v. ar. ix. ad. xvij. de celo et magne et ar. xv. Et ita dicatur ad decimum de luna. Et magis patebit in metha.

¶ Ad undecimum dicitur quod non sunt eadem ratione idem est in duabus speciebus. Et ad aliud dicitur quod scientia et virtus magis intrinsece important relationem quam alia accidentia. Et de his satis dictum est. v. phis. q. aliquomodo disputatio videtur esse ad nomen. Quidam dicunt quod accidentia intellectus et voluntatis non acquiruntur continue. Et ideo non acquiruntur per motum. Deinde dicitur quod perfectio propria non acquiritur per alterationem. Secus autem est de communi. Ex his facile est soluere reliqua argumenta. Nota tamen quod intensio virtutis reducitur ad alterationem. S. T. de virtu. ar. xi. ad. xi. Sed an sic anima dicitur pati per accidens ita dicatur sentire per accidens dico quod non san. tho. de veri. q. xxvi. ar. ii. vij.



¶ Quartum sic proceditur. Videtur quod omnis motus omni motui sit comparabilis in velocitate et tarditate quia omnis motus est in tempore. Sed in quolibet tempore contingit aliquid velocius et tardius moueri et ista dicuntur per comparisonem ergo. Sed contra est philosophus.

¶ Respondeo dicendum quod duplex est comparatio quodammodo est proprie dicta alia improprie dicta. Ad comparisonem proprie dictam tria requiruntur. Primum uniuocatio forme in qua est comparatio. Secundum unitas primi et per se susceptiui. Tertium unitas ipsius forme secundum speciem specialissimam defectu prime conditionis vinum vox et stylus non comparantur in acutie quia in ipsis acutum non est eiusdem rationis et tamen vltima corda cithare et penultima comparantur in acutie quia acuties in ipsis est eiusdem rationis defectu scilicet conditionis vox et aqua in magnitudine non comparantur quia licet magnitudo in ipsis sit uniuoca tamen non est unum primum susceptiuum quia susceptiuum magnitudinis in aqua est substantia eius et est substantia eius in voce non sonus susceptiuum defectu vero tertie conditionis equus et canis in colore non comparantur quia cuius color sit eiusdem rationis in ipsis licet etiam sit unitas primi et per se susceptiui quod est superficies et tamen comparantur in albedine et hoc ideo quia albedo est una unitate specifica insuisibilis in alias species color non est una forma nisi unitate generica.

¶ Auertendum preterea quod uniuocatio aliter accipitur in phisica et in logica. et ratio est quia uniuoca dicuntur quorum nomen est commune et ratio seu definitio est eadem modo sic est quod logicus et phisicus diuersimode definiunt. Nam logicus considerat intentiones communes et secundum eas diffinit unde ad hoc quod aliqua secundum ipsum sunt uniuoca sufficit conuenientia forme abstracte et absolute considerate. phisicus vero considerat concretum et determinate et ideo diffinit per motum et materiam sensibilem qua propter ad uniuocationem forme secundum phisicum requiritur quod illa forma sit una

## Articulus Quintus.

secundum esse naturale quod habet in materia.

¶ Conclusio prima non omnis motus omni motui est comparabilis patet quia quidam sunt motus genere differentes ut alteratio et loci mutatio. Item velocitas non secundum eandem rationem conuenit alterationi et mutationi secundum locum quia mutationi secundum locum conuenit secundum renouationem situs. In alteratione vero secundum intentionem et remissionem forme igitur.

¶ Conclusio secunda non omnis motus localis omni motui locali est comparabilis patet quia aliqui motus locales sunt specie differentes ut patet de motu circulari et recto. Et per idem probatur quod non omnis alteratio omni alterationi est comparabilis idem de generatione et corruptione. secundo probatur eadem conclusio sic nam si omnis motus localis esset alteri comparabilis sequeretur quod magnitudo recta esset equalis magnitudini circulari quod est falsum. ergo. et c. Nec valet si dicatur quod ratio bene probatur quod in equalitate non possunt comparari sed in maius et in minus nam ubi contingit dare maius et minus ibi contingit dare equale. probatur quia velocius est quod in equali tempore maius spacium pertransit et in minori equale. Si ergo motus circularis sit velocior motu recto ut puta motus qui fit supra circulum sit velocior illo qui fit supra lineam rectam ergo pars circuli erit equalis magnitudini recte que est linea quod patet quia mobile in aliquo tempore pertransit magnitudinem rectam ergo mobile velocius motum in parte temporis partem circuli pertransit et quia velocius motum in equali tempore maius spacium pertransit et in minori equale sequitur quod illa pars circuli quam pertransit in minori tempore est equalis magnitudini recte pertransite.

¶ Contra hec arguitur primo probando quod aliqua specie distincta possunt adinvicem comparari quia ternarius et binarius distinguuntur specie et tamen comparantur. Dicimus enim quod ternarius est maior binario vel quod se habet ad ipsum in proportione sex ad altera: ut patet ex arithmetica. Item albedo et superficies specie distinguuntur et tamen ista aliquando sunt equalia probatur quia dicitur in predicamentis quod quanta fuerit superficies tantum album fore dices ergo albedo et superficies sunt equalia.

¶ Secundo arguitur ad idem quia motus rectus sursum et motus rectus deorsum specie distinguuntur et tamen possunt ad inuicem comparari: lapis enim velocius descendit quam ascendat. Item omnes motus conueniunt in diffinitione motus ergo possunt comparari adinvicem.

¶ Tertio arguitur quod motus rectus sit comparabilis motui circulari quia philosophus dicit quod motus celi est velocissimus et prior omnibus alijs ut patet in. viij. phis. ergo motus celi circularis est comparabilis alijs. Item caliditas potest comparari frigiditati. Dicimus enim aliquas caliditatem esse magis intensam vel maioris actiuitatis quam sit ipsa frigiditas.

¶ Quarto arguitur ad idem linea recta et circularis sunt eiusdem speciei ergo et motus. Antecedens patet quia eadem linea numero que prius erat circularis postea fit recta et tamen non mutat speciem ergo linea recta et circularis sunt eiusdem speciei. Item linea recta et circularis possunt continuari. ergo sunt eiusdem speciei. Antecedens patet: quia linea aliqua constat ex recta et circulari. Quidam dicitur lineam rectam corrumpi quando cera quadrata fit rotunda sed contra tunc non maneret idem corpus: